68 1. G. 52

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
68
13 G
52

68.13 G.52.

Digitized by Google

Digitized by Google

SIXTI.V.PONT.MAX.

GESTA

QVINQVENNALIA

AC

ILL.[MORVM] ET.REV.[MORVM] S.R.E.CAR.[LIVM]

ELOGIA

Vincentio Robardo Auctore.

.D.  .C.

VITTORIO MANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

ROMAE, Apud Paulum Bladum Impreſſorem Cameralem.

CIϽ IϽ XC.

.C.

Digitized by Google

GESTA
SIXTI QVINTI
PONT. OPT. MAX.

ILL. ET R. D. ...

[illegible]

tum, ... ſtillarum ... autem
Principum ... dico. Nemo certe omnium, vt
... atque diſſi-
... quibus tan-
tam Nicolao ... atque eloquen-
tiae, vt in ipſis ... exarſiſſe
videatur: qui vſque adeo ſui caecutiens amore,
hoc ſuae in dicendo facultati aſſcribere audeat,
vt haec ſumma ingenii Tui monumenta, nullis
terminãda ſaeculorum aetatibus, aut Tantorum
Principum laudes oratione ſeſe aſſequi poſſe
conſideret. Sed tamen ... eam ...
ſim, tamquam exer... mihi eruditorum at-
que eloquentium hominum Phoenici, qui in om-
nibus A 2

SIXTO QVINTO
PONT. OPT. MAX.

RERVM à Sanctitate V. in ciuitate Romana feliciſſimo quinquennij geſtarum curriculo continuatã Heroico carmine ſeriẽ, Sixti Pont. Max. cum Sacro R.E. Illuſtriſſimorum Cardinalium Senatu, Sanctitati V. illarum Auctori, huius autem Principi, do. atque dico. Opus certe omnium, vt exiſtimo, opinione in primis arduum, atque difficile. Quotus enim eorum quiſque eſt, quibus tantum Natura elargita eſt ingenij, atque eloquentiae, vt in ijs ornãdis vniuerſas vires ſuas exeruiſſe videatur; qui vſqueadeo ſui caecutiens amore, hoc ſuæ in dicendo facultati adſcribere audeat, vt haec ſumma ingenij Tui monumenta, nullis terminãda ſaeculorum aetatibus, aut Tantorum Principum laudes oratione ſeſe aſſequi poſſe confidat? Nec tamen in eam partem haec accipi velim, tamquam haec vnico mihi eruditorum atque eloquẽtium hominum Phoenici, qui in om-

nibus poſtremas me tenere ingenue fateor, & agnoſco, ſit in ſcribendo copia, vt ſuis à me abſolutum numeris aliquid proficiſci queat, ſed vti, quod in hoc meo carmine de tanta laudum Sanctitatis V. detractum eſt amplitudine, non meae voluntati, at earum magnitudini vniuerſum tribuatur. Accipe igitur, Pater Beatiſſime, qua ſoles animi benignitate hoc meum, qualecumque eſt, munuſculum, & ſi fortaſſe maiorem in audendo iudicij deſideres maturitatem; iuuenilem ſaltem in adumbranda rerum à Sanctitate V. geſtarum magnitudine alacritatem lubens amplexare. Eccleſiae ſuae vniuerſae quam diutiſſime incolumem Sanct. V. conſeruet Deus Opt. Maxi. Romae. Kal. Mart. CIↃ IↃ XC.

Sanctitatis Veſtrae

Humillimus Seruus

Vincentius Robardus.

Digitized by Google

SIXTI QVINTI PONT. MAX.

GESTA QVINQVENNALIA.

HAbitur aſtricomo nouus in penetralia ſenſus
Pectoris ima polo, tumefactaq. corda pererrans
Ingerit Euboicas ſubter praecordia vires.
Magnaq. ſubijciens, quae nunc praetenta tuētr.
Mortalem inuoluit picea caligine mentem,
Diſcutit, irradians Caeleſti lumine, nubem.
Quae mihi, quae tantas reſerabunt carmina flammas?
Quid ue parat quicumque poli de parte ſerena
Aerios rutila perfringens lampade tractus
Noſtra repentino labefecit pectora motu?
An ſeptemgeminae viridantia culmina Romae
Adſcenſu ſuperare iubens, per cuncta repente
Mandat Ariſtoridae vigilantis in omnia viſu
Circumferre aciem, & Sancti miracula SIXTI
Tanta rudimentum noſtrae libare Camoenae?
Immenſum praefinit opus quicumque Deorum,
Illa iubet noſtro fulciri pondera dorſo,
Namque ſub exigua penitus dum mente voluto,
Atque animum perq. has dubium, ſaepe ire per illas
Ambiguum ſubigo partes, vrgetq. morantem

Indefeſſus amor; tantarum pondera rerum
Prima cient trepidas vires, longoq. fatigant
Ordine, nec tutos deſpectant lumina portus.
Nam quae Muſa Tui, Pater o Sanctiſsime, Sacrum
Cui dedit imperium Genitor bipatentis Olympi:
Cui rerum commiſſus apex, almiq. meatus
Luminibus luſtraſſe poli, penitusq. repoſtas
Cognouiſſe vices, arcanaq. ſemina mundi:
Sicut Acidaliam per inania nubila matrem
Raptatus ſub calce premens rutilante, coruſcis
Scintillare comis, laetoq. incedere vultu,
Innumerasq. hominum per olentia prata cohortes
Ferre coronatas flauo diademate frontes
Lumine conſpexit diuinae Buccina legis:
Euoluat decoris ſeriem? Quis carmina tantis
Sufficiat meritis? Non ſi Phocaea canoris
Stagna refuſa vadis, ſanctoq. vndantia rore,
Qui ſacra grandiloquum ſecundo pectora motu
Exſtimulat Vatum, penitus Latoia pandat
Progenies connixa humeris, & ſicca perenni
Irriget vndarum facilis praecordia lapſu,
Queis placidam Aonijs carpens per membra quietem
Paſtor agris ſaturans auidi ſitientia ventris
Viſcera, Caſtalios mulſit concentibus agnos;
Exaequata Tuis modulentur carmina factis
SIXTE Pater. Viden vt roſeo calefacta pudore,
Quod meritas nequeat tantis perſoluere grates
Muneribus, quoniam renuunt benefacta recurſum
Mutua, ſideroi vultus demittat honores
Roma decus mirata, atque inſuperabile robur?
Illa triumphantes celſa ad Capitolia currus
Duxit, Acidalia rutilantia tempora myrto,
Daphnaeisq. vmbrata comas de more corollis,

Vt

Vt primum Inachios flammarum eiecta Corynthó
Pondera, & aetherias ſaxi glomerata ſub auras
Viſcera candentis reuoluti turbine fumi
Turbauere Duces: vel cum Iunonia tandem
Oenotrias experta faces, magniq. potentem
Scipiadae Natum, ruere alto a culmine vidit
Sidonias arces, atque indefleta Parentum
Corpora, Carthago, patulis ardere ſepulcris.
Iam vero dum ſacra Deum delubra frequentat
Ciuis, & aeternum demiſſo lumine Patrem
Suppliciter venerans, cumulansq. altaria donis
Pro Te vota facit, delubraq. thure vaporat;
Attonitos roſeo vultus obnubit amicta
Flammeolo, ſeptemq. tuens de collibus ora
Dia triumphantis, iam vaſta cyrbe furentum
Libera ſacrilegum, dumtaxat pectore laeto
Gaudia magna fouet, votisq. aſſultat Olympo.
Nam, qui digna Tuis aequentur praemia donis?
Nomine Tu rutilans, memorandaq. facta relinquens
Vatibus, atque ipſi non illaudata Tonanti;
Prouehis imperium ſupra Garamantas, & Indos.
Tu, dũ dira cohors muris circũ omnibus inſtat, | Exules eiecti.
Portarumq. moras lituis aſſultat, & haſtis
Fas omne abrumpens, atque intra moenia Romae
Saeuit, vt increpitans lucis Vulcanus opacis
Immenſum populatur iter; victricia ſancta
Depoſito trepida vibras formidine Ciui
Signa manu, ſoluisq. ſacros diſcrimine Patres.
Dumq. metu gelido crudelia pectora torpent,
Durorumq. manus fortem auerſantur iniquam
Armorum, latebraſq. fugae, tutoſq. receſſus
Rimantur, rapidoq. pedum certamine tantum
Sacrilegum coeunt acies, aſſuetaq. turmae

Quadrupedum rigidis retrectant ora lupatis;
Haud ſecus Auſoniјs funeſta pericula pellis
Finibus, Ambroſium reuocans in cuncta decorem;
Quam bene ſolliciti renuens oracula Pitthei;
Dum nequit indecores pelagi tolerare procellas;
Vt fera terribili premeret mucrone Tyrannis
Terrarum ſpatia, & per ſtagna loquacia cygni
Maererent nitidum fluuios mutaſſe colorem,
Amphitryoniadae per opaca ſilentia noctis
Subijciens animis commiſta laude labores,
Diſiecit Danaas turbantia caedibus oras
Agmina ſanguineis, miſerum, Troezenius Heros;
Dum ſic Munichias victor penetraret in arces.

Tu, dū ſaeua quatit manibus bacchata profanis
Frena per Heſperias aequo diſcrimine gentes,
Vitaleſq. ruens auras inceſtat Egeſtas;
Tu Pater Aeneadis Labanidos alma propago
Mitis ades, Cereremq. Tuo ſub numine torquens,
Quae ſua caeruleos cogens ad plauſtra Dracones
Praecipitarat iter, Siculis vbi vapulat Auſtris
Inſula, Sicanijs ſtatio gratiſsima nautis,
Ima Pyracmaeis falx deſudata lacertis
Cuius hebet gremio, qua ſanguinolenta Proſymna
Brachia Titanum primos ſudare labores
Edocuit, Latios fecundis meſsibus agros
Sancte beas. Magnae quin gazophylacia pandens
Arcis, vbi medio pulſat fundamina fluxu
Pontis, & acceſſu ſpecie rutilante talenta,
Quae ſitiens medijs miretur Tantalus vndis,
Votaq. Mygdonij quondam mirata Tyranni
Tempeſtas pretioſa Tagi, tutatur opaco
Tibris ab Etruſcis delabens flumine ſaxis;
Inuehis exhauſtae Thermeſia munera Romae.

Subleuata Annonae Caritas.

Aerarium S. Eccleſiae locupletatum.

Nec

Splendor obit dubio reſonantia culmina vultu;
Qualis vbi varios Phoebo Thaumantias Iris
Induit aduerſo multum diſtincta colores,
Poſtibus excludens ſedes; faſtidia rerum
Infracto oppoſuit animo, quas inuida morſu
Abſumens auido rapidis ludibria ventis
Diſsipat, aut pedibus premit impacata vetuſtas.
Caelicolumq. optare domos, & lucida tantum
Sidera ſublatis docuit ſperare benigna
Cum prece luminibus, ſacrisq. aſſueſcere votis.
Hinc mihi, Nonacrias Phrygiae qua moenibus Vrbis
Inuoluit rapido Tiberinus vortice lymphas, Templum S. Hieronymi.
Sideribus variata nitent delubra coruſcis,
Pictaq. deuexos ſinuans teſtudo receſſus
Induit Illyricos ſerie coeunte thyaras.
Nec procul extremae qua claudit moenia Romae,
Ianiculumq. premit ſpatioſo culmine collis, Tholus S. Petri.
Nomina cui perhibent feciſſe oracula Vatum;
Tollitur aetherias Tholus admirandus in auras;
Sanctaq. clauigeri deſpectans limina Petri;
Ardua marmoreum caput inter nubila condit.
Illum veridico paſsim memorabilis ore
Fama canens, propere quos vltima terra refuſo
Submouet Oceano, rapidisq. caloribus vrget
Phoebaeis ſubiecta rotis plaga feruida, currus
Dum variat medios, & tramite latior aequo,
Exiguis orbem tenebris deuexus opacat,
Excitos agitat populos, miroq. videndi
Incenſos ſtudio Romanam cogit in Vrbem.
Phocaicos en linquit agros Amphiſia pubes
Agmina conglomerans, Cyrrhaeq. arcana mouentem
Neglectae ſolitis rident ſine honoribus arae,
Feruet Agenorea veniens ab origine Dirce,

Nato-

Natorum Dirce furias experta, manuſque,
Donec in aduerſos contorſit flumina vultus.
Oethaei, Dryopeſq. ruunt, pictiq. Agathyrſi,
Chaoniaeq. manus, Creſſaſq. agitare pharetras
Doctior infido populus diſcluſus Oaxe.
Et Druidae Arctoi, quorum ſententia furuis
Submouet occiduas Erebi de ſedibus vmbras,
Et Mortis negat eſſe vices, ſed corpore ab vno
Aſſerit orbe alio migrare in corpora ſenſus.
Quin Pholoe quondam gentem mentita biformem,
Laxata penitus reſerat compagibus aluo
Viſcera, & Iſmarium diſcluſis nexibus Hemum
Exſtimulans; trepidis ventura illabitur vndis,
Qua refluus rigidos eructat Boſphorus amnes.
Parte alia, miſeras qua nunc inculta ruinas
Magnorum oſtendens operum, Vibennia cernit
Culmina Caeſareo Roma exaequata Theatro, Palatiũ Lateraũ
Marmoreis rutilant Laterana palatia ſignis:
Impexuſq. iubas per cernua colla fluentes
Stat Leo veſtibulis, vigiliq. interritus ore
Excubat, & triſtes remouet de limine noxas.
Qualiter Heſperidum flauentibus arbore ramis
Auricoma aſsiſtens hortis, & ſqualidus alui
Proluuie ſerpens piceo Phaetonta veneno
Inficiens; numquam damnatus lumina ſomno
Robora ſeruabat croceo curuata metallo.
Iuxta autem geminas tollens ad ſidera turres
Porticus, vnde ſacra Patres, populumq. Quirinum
Ipſe manu inſignit, ſanctiſsima pectora motu
Attonitus ſupero, & tritae ſuſpiria mentis
Sacra tonans rutili lenit ſolamine Caeli,
Agmina Romulidum denſis ſtipata cateruis
Miratur Parios, lacrymis ſuper ora volutis, Porticus ad benedictiones erecta. ſcala S.

Exu-

Exuperare gradus, atque oſcula figere ſaxis:
Qualia, cum primum Brumali dura ſereno
Libera iam tellus, radiosq. Hyperionis hauſit
Sideribus nixus delapſae portitor Helles
Vernus, & aequatis ad iuſtae examina Librae
Temporibus vicere dies; trans Nerea Nilo
Agmina diſcedunt Phario plaudentibus alis,
Biſtoniosq. petunt amnes, Boreaeq. receſſus,
Dum iuuat Orphaeo rurſum aeſtiuare ſub Aemo.

Adſpicis, vt ſenior fluuio Tiberinus amoeno
Romula diſtringens cultis viridaria plantis, Xenodochiū ad Pōtem Sixti.
Qua Pater Oebalij gremio veneratur opaco
Oſſa Numae, gemina variatus imagine Ianus,
Per tria Sixtaei ſinuata foramina pontis
Miſcet aquas timide flauo conterritus ore?
Qui pridem inſolitum tumidarum pondus aquarum
Intulit Iliacae ſtupefactis collibus Vrbi,
Abſtinuit metuens operi, quod diuite SIXTVS
Munere pauperibus fundo ſubſtruxit ab imo.
Nec, quamuis dubias ſuſpendat opinio mentes
Aeneadum, cum vaſta parant adhibere furori
Frena nouo, tantas Superi cognouimus iras
Fluminis, humani quantas fecere timores.
Qua gelidis mediam Pater Apenninus opacat
Collibus Italiam, ſubiectaq. nubila celſo
Vertice deſpectat, viridanti Tibris in antro Bibliotheca Vaticana.
Audierat, curuo rurſum noua tecta Theatro,
Queis ſacra priſcorum ſeruata volumina Patrum
Volueret, ingenio quicumque laborat opertas
Naturae luſtraſſe vices, & myſtica Caeli
Dogmata miranti penitus reſeraſſe coronae,
Surrexiſſe ſolo, vigiliq. indagine rerum,
Gloria conſpicuis SIXTI quibus additur aſtris,

Mollius Ambroſia ſpectantia lumina paſci.
Ergo ruens tumidis ſocij cum fluctibus Arni
Conſcia conglomerat flauentia flumina Clanis,
Inuectusq. Vrbi ſpatiantibus impiger vndis
Subſtitit, optato rorantia lumina paſcens
Intuitu, ſuperas vbi ſtat prolata ſub auras
Aelia Caeſarei moles operoſa ſepulcri.
Donec ab eximijs flectens veſtigia tectis
Coepit in aſſuetos iterum deuoluier alueos.

Cetera quid memorem? ſublimia culmina ſaxi
Ecce Paraetonia quondam decisa Syene, — *Obeliſcus in area vaticana erectus.*
Dum parat auricomo furiata mente Seſoſtris
Munera Titani, triplici rutilantia colle
Sancta ſalutiferae ſacrato vertice geſtant
Signa Crucis, Solemq. poli reuerenter adorant
Qui manat gemino aequaeuum de numine Chriſtum.

Quod ſimul ac Obelum demerſa in viſcera terrae
Audijt inſolito turba obſtupefacta tumultu; — *Tres Obeliſci alij, quorũ vnus ad aedẽ Lateraneſe, alter in Exquilijs, tertius ad aedẽ S. Mariae de Populo erectus eſt.*
Ilicet aetheriam tollens ad lampada vultus,
Stipatos carie vultus, coenoq. paluſtri,
Diuerſas adiere domos, tardiſq. morarum
Excluſi ſpatijs, humanae inſigne ſalutis
Coeperunt domito ſub nubila tollere dorſo.

Celſaq. Traiani ſuperās monumẽtā potẽtis
Aere rigens Petrus, procul Antoninia cernit — *Cochlis Traiani, & Antonini.*
Sidereũ fulcire Ducem noua marmore ſigna,
Qui ſacra verbigenae diſperſit dogmata Chriſti
Voce tonãs, roſeos quã tollit ab aequore currus
Phoebus, & occiduas ſeſe demittit in vndas.

Quae facile vt vigili luſtraret ſingula viſu
Quiſquis ab externis ſãctã venit hoſpes in Vrbẽ, — *Viae nouae apertae, & ſtratae.*
Sedibus, aut ſeptena pius delubra frequentat,
Suſtulit anfractus dubios, caecoſq. recluſit

Macan-

Maeandros Dux Ipſe viae. Viden alme repoſtas
Exquilias? priſcasq. niues penetralia Matris
Chriſtiparae nitido iam nunc ſignantia ſulco?
Hinc rigido gradiens ferro ſcopuloſa ruinis
Compita perrupit grauibus, collesq. ſubegit
Inſultans tumidos, & leuia ſtrata viarum
Imponens, aſtri radios expreſsit acutos.
Queis quoniam Dios meritis affectat honores
Egregia nulli veterum virtute ſecundus;
Vt primum immanes Erebi, Cocytia monſtra,
Fregerit Eumenides, victoq. meauerit Orco;
Androgeonaeo quamuis cadat vrna Tyranno,
Vrna ſcelus ſubigens, multoq. attrita rotatu,
Et quatiat ſceptro indignans ſqualentia Pluto
Robora valuarum, rictuq. inamoena triſauci
Regna ſub exeſo recubans vaſtiſsimus antro
Perſonet horrendum laxis per colla ceraſtis
Cerberus, & ſaeuo manes depoſcat hiatu,
Ignibus inſignem feſſos Caeleſtibus artus,
Sublatum rutilo laeti accipiemus Olympo,
Quà radiant gelidi crepitantia plauſtra Bootae,
Parrhaſiaeq. rotae, & qui cauda interiacet Anguis.

Talia commemorans ſenior, per ſingula ducit
Caelicolam. Interea ſacrum maiore ſereno
Luminis arcanas culmen diffundit habenas.
At volucris docto ſanctos Gens pollice neruos
Molliter increpitans, & conſona fila reperta;
Exhibet auricomo ſpectacula dulcia Caelo.

Fallor? an aſſultans variato murmure vortex
Vndarum, arrectas concuſsit lapſibus aures — Fons Aquae Felicis.
Aſsiduis? piceamq. procul ſuper aethera nubē
Stipatam nebulis nubem, fumoq. nigranti
Exhalans, ſacri inuoluit iuga ſumma Quirini.

Cre-

Crebra Columnacis deſcendens finibus vnda?
Cui tantum potuere manus? Caelone peractum
Fluxit opus? Danais an deſudata lacertis
Praxitelem moles Phidiae ſudoribus vſsit?
Stat Pario rutilam dirimunt cui cornua frontem
Amramides niueus canentem marmore barbam.
Dumq. inopes vndae ſubter labentia primum
Flumina tellurem ſcrobibus rimantur opacis
Iſacidae, & nullo ſtillant ſudantia rore
Antra, nec exiguis turbatur glarea venis;
Solatur trepidos, monituq. edoctus Olympi
Saxa ferit virga, reſerataq. pumice monſtrans
Flumina percuſſo, magnum grauat aethera votis.
Accelerant Comites, viridiq. accliuia ripae
Corpora ſubſternunt, pronoq. recentibus vndis
Ore inhiant alacres, & feſta voce ſupinas
Tendentum dextras clamoribus adſonat Echo.

Cetera, dum medio tantarum turbine rerum
Aeſtuat horriſonis circumpulſata procellis,
Quae canat Aonidum? Non ſi Cyrrhaea bicorni
Interfuſa iugo ſpumanti Cynthius vrna
Sponte ferat famulis vndarum pondera Muſis;
Aut mihi tot fecunda ſuo referentur hiatu
Ora, quot Arcadijs cuſtos Iunonius aruis,
Dura Lycaoniden paſcentem gramina vaccam,
Ingratusq. Patri, Nymphisq. colentibus amnem,
Luminibus cupido luſtrantibus omnia viſu
Seruauit; valeam complecti ſingula cantu,
Quae videt inſolito Sol effulgere decore,
Dum quater extremum complet reuolubilis orbem.


Vaſta Coloſſaei ſtupeant ſimulacra coloni,
Quae ſoror Enceladi Terrae omniparentis alumna
Sparſit in immenſum claris rumoribus orbem

Regnaq. Pyramidum ſerie Ptolomaea reſultent,
Lata Paraetonio qua rumpit in aequora cornu
Caeruleum Phaetontaeo caput igne renidens
Nilus, & ambuſto corpus velatus amictu:
Quae quoque Carpathio pluuias naſcente Mineruâ
Accepit praetenta freto flauentibus aethra
Nubibus auratas, ceu cum Saturnia proles
Acryſionaeam perrupit ab aere molem,
Lapſa per Argolicae rutilantia pectora Nymphes,
Inſula, ſubluſtri miretur culmina turris
Igne ſub Olenio luſtrantia ſidere pontum:
Vrbis Achaemenij iactent pulſata quadrigis
Vaſta Semiramiae collatis moenia Parthi:
Eubaſii monumenta polo ſublata ſepulcri
Mauſoli: Triuiaeq. Epheſus canat aurea tecta:
Arcades Elaei ſublimia ſigna Tonantis:
Quae tamen Iliacam paſsim monumenta per Vrbem
Erigis, Alme Pater, vaſto miracula mundo
Viſa premunt, humileſq. adeo auerſantur honores.
Illa etenim ſolido Nereus emota Tridenti
Hiſpidus, & Stygius telo labefecit opaco
Summanus, caſuq. ſuo traxere ruinam
Exaequata ſolo. Sed ſacro ſi quod Olympo
Surgit opus, cunctos aeternum excurrit in annos.
Dum vaga ſidereos igitur iubar aſtra per orbes,
Flammarumq. globos tacita ſub nocte rotabunt;
Ponderibus librata ſuis & in aere tellus
Pendebit medio, caeciq. in nubibus ignes
Terrebunt populos, horrendaq. murmura denſis
Miſcebunt paſsim comitata tonitrua nimbis;
Auricomo fulgens ſolio, qua myſtica magni
Ora Patris rutili numeroſa ſedilia Caeli
Collatis celebrant ſtudijs, Tua nomina cernis

 Fune-

Funereis erepta rogis, per cuncta vagari
Climata terrarum, latiq. per aequoris vndas.
Aſt, dum corporea nondum Te mole ſolutum
Humanis Superum Genitor moderamina rebus
Suppeditare volet, dirumq. frementibus Auſtris
Ducere ſideream per caerula marmora Puppim;
Taenariae numquam ſpecus irremeabile portae
Laxabunt Stygij Briareia monſtra profundi,
Impia quae rigidas moueant in proelia mentes.
Aurea quin poſito pacato ſaecula Marte
Florebunt Latio, ceu cum Saturnus Olympo
Venit ab aetherio, fugiens ſcelerata furentis
Arma Iouis, duroq. homines e robore natos
Compoſuit, vitae ducens melioris in vſus.
Rurſus & inſtructi ſacris de more priorum
Legibus, vnanimes ſimul intemerata Coloni
Liba frequentabunt, & Relligionis honores
Optima poſteritas rutilum ſuper aethera tollet.

Io. Ant.



IO. ANTONIVS SORBELLONVS MED.
Epiſc. Oſtień. & Veliter. Sacri Collegij Decanus
Card.S.Georgij nuncup. 31.Ian.1560.

AEtherio ſociate Patri virtutis Auitae
Munere,quae ſupero fulget amoena polo,
Inclyte Purpurei Dux Sorbellone Senatus,
Dũ Pater imperij fulmina SIXTVS habet,
Accipe cum tenui iuuenilia carmina plectro,
Accipe, ſunt animi ſymbola parua mei.
Sic Te, quem rutilans euexit ad aethera Virtus,
Et ſacer eximiae Relligionis honos,
(Nam ſacra ſiderea redimitus tempora mitra
Primus honorati ſceptra tuere ſoli)
Quamlibet exiguis ſit deſpumata caminis,
Transferet in rutilum noſtra Camoena polum.

Digitized by Google

PIVS PP. IIII.



Alfonsvs Gesvaldvs Neap.
Epiſc. Port. & S. Ruf. Protec. Regni Neap.
26. Februarij, 1561.

Cvr Leo ſanguineam vibrans ad ſidera linguam
  Natus in Aethiopum ſanguinolentus humo,
Vngue terit veris primos variantis honores,
  Candida puniceis lilia miſta comis?
An quia caeruleum ſublatus ad aethera mente,
  Mente, Tuae pignus quae Pietatis habet,
Terrenas Alfonſe vices, & munera temnis,
  Quae colit vt ſummas mundus auarus opes?
Macte Tua virtute Pater, Pater inclyte macte:
  Sic aderit vitae cum Tibi ſumma Tuae,
Myſtica ſiderei referentem verba Parentis
  Almus inexhauſto flamine paſcet Amor.

Digitized by Google



INNICVS AVALOS DE ARAG. NEAP.
Epiſc. Tuſculanus, 26. Februarij, 1561.

Innice, nobilium qui ſtemmate cretus Auorum
 Exuperas animi nobilitate genus:
Rara Tuae mentis praeſers inſignia, cum Te
 Qui rogat ex facili cuncta ferenda videt.
Quippe licet capitis feriat reuerentia cani
 Quae rutilant furua ſidera nocte polo:
Sic tamen in placido ſinuatur pectore virtus,
 Quae ſua de facili nomina voce trahit:
Vt, ſeptemgeminae luſtres dum compita Romae,
 Dicaris ſupero proximus eſſe Deo.
Viue diu tali memorabilis Innice mente,
 Sic Tua conuenient moribus acta Tuis.

Digitized by Google

PIVS PP. IIII.



MARCVS ANTONIVS COLVMNA ROM.
Epiſcopus Praeneſtinus. 12. Martij. 1565.

VT Parijs complexa ſolum radicibus Auſtro
  Stat baſis a nullo diſcutienda loco:
Ventorumq. minas, tempeſtateſq. ſonoras,
  Nec pauet irato fulmina torta Ioue:
Sic immobilibus nitens Prudentia fibris,
  Pectore non cedet clare Columna Tuo.
Nullaq. formidans curarum pondera, nullis
  Inuide palleſcens quos ſtruis Orce dolis,
Celſior exurget, maioraq. nomina ſumens
  Sparget in immenſum ſemina ſancta ſolum.
Semina mortales non producentia meſſes,
  Semina Caelicolum ſola metenda Patri.

Digitized by Google

PIVS PP. IIII.




PTOLEMAEVS GALLIVS NOVOCOMEN.
Epiſcopus Sabineñ. 12. Martij. 1565.

Albano generoſe ſolo Ptolemaee thyara
  Qui pia ſidereo tempora vincta geris:
Si vacat a iuſtis animum deducere curis,
  Cerne verecundi debile vatis opus.
Quidquid ab Iliaca diſiectus in aequora flamma,
  Dum petit Argolicos per vada ſalſa Lares,
Artis habet Samiae rector telluris Vlyſſes,
  Id Tibi tam ſero tempore vita tulit.
Quidquid enim vaſto numeroſa volumina tractu,
  Quidquid ab aeterno maximus orbis habet:
Nobilis ingenuae peperit ſollertia menti.
  Scilicet hóc ſenij tempore munus habes.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

PIVS PP. IIII.



GABRIEL PALAEOTTVS BONONIEN.
Epiſcopus Albanen̄. 12. Martij, 1565.

FLebat Ariſtidem patrijs Aſtraea fugatum
 Sedibus, indignis fata ſeuera modis.
Cum Pater omnipotēs, flentē miſeratus, amico
 Ore dedit Natae talia verba ſuae:
Pone modum lacrymis, Teq. iſto ſolue dolore,
 Subueniam votis optima Nata Tuis.
Viuit in Auſonia caeli Paleottus alumnus,
 Qui terris iterum iura, fidemq. dabit.
Digna Deo rutilant illi ſub pectore dona,
 Ciuis in illius pectore iura latent.
Dixit: at illa, ſuo gaudens Genitore, reduxit
 Legibus orbato Te Palaeotte ſolo.

Digitized by Google



CAROLVS BORBONIVS GALLVS

Tit. S. Chryſogoni. Leg. Auinio. Primus Preſb.

9. Ianuarij. 1549.

Illia Riphaeae numquam ceſſura pruinae
 Dum iacet aerijs irreſoluta iugis,
Cur tria, dũ Granes dirimit diſcrimina munus,
 Carole, ſunt titulis addita clare Tuis?
An quia ſincerae referunt penetralia mentis,
 Quae Tibi primaeuo tempore labe caret?
Et, velut Idalios decorant ea ſtirpibus hortos,
 Dulcia dum tepidi tempora veris eunt:
Tu quoque Gallorum celebri celeberrimus orbe,
 Egregijs animi dotibus aſtra feris?
Scilicet haec vera eſt titulorum ſumma Tuorum:
 Quod ſupereſt vitae molle ſit omne Tuae.

PIVS PP. IIII.



MARCVS SITICVS DE ALTAEMPS GER.
Tit.Sãctae Mariae Trans Tiberim. 26.Febr.1561.

SI mea Caſtalius coeuntibus vndique riuis
  Turbine perpetuo perluat ora liquor,
Qualiter Aemathios ſecat irrequietus Enipeus
  Qua tulit Aemonium Pelea Thetis, agros;
Non Tua Pierio celebrem praeconia cantu,
  Nec fingam meritis carmina, Marce, Tuis.
Inclyta Maeoniden lux deterreret Auorum,
  Claraq. Teutonico gloria nota ſolo.
Qui mea, qui tantis igitur virtutibus impar,
  Accedat ſolidis parua Thalia bonis?
Cum nequeat dubia condi caligine virtus,
  Debetur rutilae ſcilicet illa chely.

PIVS PP. V.



F. MICHAEL BONELLVS ALEXANDRIN.
Ord. Prædicat. Tit. Sancti Laurentij in Lucina.
6. Martij. 1566.

VT tua doctiloquo memorem praeconia cātū,
Crete Liguſtiaco clare Bonelle ſolo:
Fas mihi Pieridum ſanctos petijſſe receſſus,
Cingat vt Aonias laurus odora comas.
Nā Tibi Pontificū ſeries numeratur ad ortus,
Quos modo ſtelliferi detinet ora poli.
Et pius aetherio mentem ſuccenſus amore,
Mite ſalutifera fulmina voce iacis.
Qua male Tartarijs hominum labefacta ruinis
Inſtauras ſupero pectora fida Ioui.
Ergo, Pater, meritis tantis ventura Nepotum
Te pia poſteritas docta per ora feret.


Digitized by Google



LVDOVICVS MADRVTIVS GERMANVS
Tit. Sanctae Anaſtaſiae, Protector Germaniae.
26. Februarij. 1561.

QVid ſibi vult patulas referãs Iouis armiger alas?
Cur ue coronatum tollit in aſtra caput?
Anne velut volucrum ſolus volatille per auras,
Nec ſtupet ad radios Phoebe coruſce Tuos:
Sic Ludouice Tuam tollens ad ſidera mentem,
Quae Tibi terrena libera faece nitet,
Ardua conſpicue Virtutum munia pandis?
Et facis aeriae compita plana viae?
Scilicet aſsidui ſunt haec monumenta laboris,
Illaq. ſunt largae ſymbola certa manus.
Hoc agedum tremulos vento perlabere fluctus,
Sic capient portus carbaſa plena ſuos.

PIVS PP. V.



Nicolavs de Pelve Gallvs
Tit. S. Praxedis, Card. Senonen̄. Proteƈt. Hiberniae.
17. Maij. 1570.

PElue, decus patriae, ſpes maxima Pelue Tuorum,
Quos fouet Aonio Gallica terra ſinu:
Quamlibet arcani rimaris ſemina mundi,
Raptus Acidaliae celſa per aſtra Deae:
Labenteſq. iuuat ſtudijs inſumere noctes,
Roſcida dum bijugos Cinthia flectit eques:
Attamen & noſtro dici dignabere cantu,
Quem dedit imparibus vecta Thalia modis.
Scilicet humani ſuadet Clementia vultus,
Et iubet Aonidum, quas colis vſque, decus.
Sic dum dira fremunt reuoluta per aequora venti,
Diceris dubiae portus, & aura rati.

Digitized by Google



IVLIVS ANT. SANCTORIVS CASERT.
Tit. S. Barthol. in Inſula Card. S. Seuerinae nuncupat.
17. Maij. 1570.

PYgmalionaeae cultor Pelicanus Idumes,
  Confodiens miſeris pectora cara modis,
Dum cupit extinctā reuocare ſub aethera prolē,
  Nobilitat titulos cur, Pater alme, Tuos?
An, quia nobilium fautor placidiſsime Vatum,
  Obruit acta Tuum mole procella caput,
Dum tonat ancipiti linguae facundia caſu,
  Et capit indubiam pauper amicus opem?
Euge Tuos merito cingunt diademata crines,
  Quae tenerum Tyrio murice tincta rubent.
Nexaq. Theſpiadum manibus decorantia vates
  Irradiant titulis Delphica ſerta Tuis.

Digitized by Google

PIVS PP. V.



HIERONYMVS RVSTICVCIVS FANEN.
Tit. S. Suſannae. Vicarius S.D.N. 17. Maij. 1570.

Pegaſus anguicomi ſaliens e ſanguine mõnſtri
  Victor Abantiades vt tulit enſe caput:
Alarum tenuem ſublatus in aera nixu,
  Fecit vt Aonii curreret vnda iugi.
Tu quoque, ne vani caperes monumenta Caballi,
  Imbutus ſanctis moribus aſtra petis.
Moribus aſtra petis, facienſq. per aera gyros,
  Omnibus vt populis conſpiciendus eas:
Elicis aſtricomo latices venerandus Olympo,
  Queis ſua mortales crimina foeda lauent.
Euge, Pater, Te rite choro comitamur ouanti,
  Agmina ſidereis Tu Tua iunge choris.

Digitized by Google




Io. Hieronymvs Albanvs Bergom.
Tit. Sancti Ioannis ante portam Latinam.
17. Maij. 1570.

VT tria ſcintillant, radioſq. per aequora iactant
Sidera, Phoebaeum dum premit vnda iubar:
Ignariſq. loci radianti lumine Nautis
Euoluunt dubiam per vada caeca viam:
Sic, Albane, Tuae rutilans virtutis honore,
Pandis ad aetherii tecta Parentis iter.
Nam Dea, quae iuſta perpendit ſingula lance,
Ambiit ambroſias flore comante comas.
Cecropis innocui docuit ſtratagemata Martis,
At ſacer incumbens pectus aduſſit Amor.
Iure nitent igitur rutilis inſignia ſtellis,
Dum Tua tam clara pectora luce nitent.

Digitized by Google


IVLIVS PP. III.



HIERON. SIMONCELLVS VRBEVETAN.
Tit. Sanctae Priſcae. 21. Decembris, 1553.

TArtareis elapſa iugis agitabat Enyo
  Impia ſanguinea bella gerenda manu.
Ergo pias laniata comas Pax inclyta terras
  Linquebat repetens aurea tecta Patris.
Ille ſed occurrens lacrymantia Virginis ora
  Abſterſit reſerans talibus ora ſonis.
Parce metu, dabitur Tibi Simoncellus Olympo,
  Qui dabit in Stygios impia monſtra lacus.
Pacatamq. petens caeleſti munere terram,
  Ingeret in noſtros enthea dona focos.
Dixit: & emiſſo Te, Simoncelle, repente
  Otia iam tellus, otia pontus habet.

Digitized by Google



PETRVS DE DEZA HISPANVS
Tit. Sancti Hieronymi Illyricorum.
21.Februarij. 1578.

DEza Pater caput Oebalio redimite galero,
Et Tarteſsiaci gloria prima ſoli;
Dum mea muſa Tuos paullũ percurrit honores
Deme ſupercilio pondera vaſta Tuo.
Vt petra, Carpathei quam pulſant vndique fluctus,]
Dum grauis aequoreis incidit Auſter aquis,
Aeolias vires, imoq. furentia fundo
Monſtra videns, tumidis cedere neſcit aquis:
Sic, dum Petre, Tuum tentant mala crimina pectus,
Obſiſtis Stygiis ſeu petra firma dolis.
Imaq. Cardineae portans fundamina Petrae,
Caelica virtutum pondera ferre potes.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.



GASPAR QVIROGA HISPANVS
Tit. S. Balbinae Card. Tolet. nuncupatus,
15. Decembris. 1578.

RVmpit vt in pontum ſeptena per oſtia Nilus,
Et tamen aequales vortice torquet aquas;
Perq. nouos aditus, & per caua ſaxa volutus,
Fertilis Aegypti ſpumifer arua rigat;
Sic Tua fecundos faciens facundia riuos,
Gaſpar, inexhauſto prouenit vſque lacu.
Perq. ſinus hominum, perq. intima corda voluta
Labitur, & nullum non facit illa ſuum.
Non ſecus ac rigido malefidos aere reuinctos
Amphitryoniades duxit ab aure viros.
Ergo caput roſea iam laetior exere flamma
Heſpere Phoebaeum dum premis axe iugum.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.



ALBERTVS ARCHIDVX AVSTRIAE
Tit. S. Crucis in Hieruſal. Legatus Portugaliae,
4. Martii. 1577.

EFfingens, Alberte, Tuae mea carmina laudi,
Haereo, ceu ſupero tactus ab igne ſtupet.
Quippe Tuis canimus carmē virtutibus impar,
Nectitur Herous cum breuiore modo.
Grandia quae tragico modulentur plectra cothurno,
Conueniunt titulis, nominibuſq. Tuis.
Nouimus vt tanto nam ſeſe iactet alumno
Auſtria nobilibus nobilitata viris.
Vt nihil humanum lateat ſub pectore ſancto
Nouimus, & noſtra ſint quoque plura fide.
Ergo canant tantae potius praeconia laudis,
Queis dedit Auſoniam Calliopeia chelyn.

Digitized by Google



ANTONIVS CARAFA NEAPOLITANVS
Tit.SS.Io.& Paulli, Signaturae Gratiae Praef. Bibl.Apoſ.
24. Martii, 1568.

INdolitura fuit cunctos male ſana per annos
Parthenope Samium terga dediſſe Ducem.
Sed, quia, magne Pater, Te poſt reuolubilis anni
Tempora venturum dixerat alma Themis,
Ergo, ait, Inachios rurſum ferat ille receſſus,
Tu Carafa meae Dux eris alter humi.
Vera fides: nam, cerne, Tuae nunc aurea vitae
Meſsis adeſt, patriae Tu decus omne Tuae.
Diuinum tacito decorat Prudentia ductu
Pectus, & in vultu ſemina mentis habes.
Et, licet inſignis deuites nomina famae,
Eſt tamen in cunctos munere dextra frequens.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.



IO. ANT. FACCHINETTVS BONONIEN.
Tit. Sanctorum Quattuor Coronatorum,
12. Decembris, 1583.

NObilis exiguo pulſata Bononia Rheno,
  Cur ferit auricomas vertice laeta faces?
An quia Maiorum, Te Facchinette, Tuorum
  Addere nominibus nomina clara videt?
Scilicet illa Tuo iactat ſe nomine, claros
  Dum ſuperes adeo poſtmodo cretus Auos.
Sera Tibi niueos decorat prudentia canos,
  Haeret in immoto pectore ſancta Fides.
Et iuuat immenſi cauſſas perquirere mundi,
  Semper & inuentis vlteriora petis.
Quin pietatis amor imis penetralibus ardet,
  Sidera ſuſpiras, & ſacra iura colis.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.




IO. BAPTISTA CASTANEVS ROM.
Tit. S. Marcelli. 12. Decembris. 1583.

ALme Pater Baptiſta, ſuis inſignia ſignis
 Dum Tua luſtrabo condecorata, faue.
En velut hirſuto latitant ſub cortice molles
 Caſtaneae, ſolida quas alit arbor humo,
Inq. minas caeli, fraternaq. flamina forti
 Armantur clypeo, dorſaq. dura cient;
Tu quoque Graiugenum rigidus grauitate Solonum
 Sic Tibi deuotis ora ſeuera geris.
Ne cadat inſidijs animi Clementia blandi,
 Quae radios rutilae lampados inſtar agit.
Hanc mihi ſi facili tribuas ſemel ore tueri,
 Pulſa verecundi ſigna pudoris eant.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.



ALEXANDER MEDICES FLOREN.
Tit. SS. Quirici,& Iulitae. 12. Decembris, 1583.

PRincipe Pieridum, nymphaq. Coronide nato,
Exeruit rutilum Romula terra caput.
Puppe coronata Tiberina per oſtia vectus
Quod tulit optatam numine mitis opem,
At Tua ſe tanto Florentia iactat alumno;
Iam neque Romuleo cedit honore ſolo.
Ille quidem potuit contagia pellere morbi,
Si modo de Vatum vera putanda fide.
At Tu praecipiti detorquens pectore peſtes
Aſſeris aſtricomo nos venerande polo.
Ergo velut Medico vicina vocabula geſtas
Nomine, Neſtorios det Tibi vita dies.

Digitized by Google


GREGORIVS PP. XIII.



RODERICVS DE CASTRO HISPANVS
Tit. Baſilicae xii. Apoſt. 12. Decembris, 1583.

MVrorumq. minas, aequataq. moenia caelo,
Inſeris inſigni cur, Roderice, Tuo?
An velut, Odryſios dum Mars rotat impius axes,
Haec capiunt trepidos in ſua tecta viros;
Tu quoque dum terris, miſerum, bacchatur egeſtas,
Cuncta Tuo quae ſunt digna fauore foues?
Cuncta foues, miſeriſq. ferens ſolamina rebus,
Ad maiora Tuis munera pandis iter.
Nec magis interea mentem liuore moueris,
Quam Pario radians marmore diues opus.
Euge ſuum numquam detorqueat orbita curſum,
Deſpicies cineres nomen habere Tuos.

Digitized by Google




CAROLVS DE VENDOSME GALLVS
Tit. S. 12. Decembris, 1583.

CArole, Pieridum, vitreiq. Heliconis alumne,
Bellerophontaei qua ſonat vnda iugi:
Adſpice, quam placido Tibi lumine rideat orbis,
Adſpice, quanta Tui ſigna decoris eant.
Quod Liger herboſo ſinuoſus perluit amne,
Pertulit a patrio fama relata ſolo,
Fulgere haud aliter Celtis Tua nomina regnis,
Cypria quam nitido ſidera nata freto.
Hinc Te, quem Tyrio quondam decorauit honore,
Annumerat ſummis Dardana Roma viris.
Quiq. Meduſaeo tinxerunt ora liquore,
Inſudant Vates laudibus vſque Tuis.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.




FRANCISCVS DE GIOIOSA GALLVS
Tit. Sanctiſsimae Trinitatis in Monte Pincio,
Protector Galliae, 12. Decembris, 1583.

NOx erat, & nitido radiabant ſidera caelo,
Altaq. nocturnos Luna regebat equos;
Cum rutilas turbata comas Pax Gallica linquēs
Regna, mihi viſa eſt talibus orſa loqui:
Ergo, vbi perpetuas ſedes manſura locaram,
Hinc me cum turpi cedere poſſe fuga?
Nec Pater omnipotens, nec viribus acta ſuorum
Gallia iactatae littora tuta dabit?
Oebalio ſaltem felix, Gioioſa, decore
Si potis es patriae proelia pone Tuae.
His fugiens rutilum furua caput abdidit vmbra,
Nox ſubiens fuſcis lumina preſsit equis.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.



IVLIVS CANANIVS FERRARIENSIS
Tit. S. Euſebii, 12. Decembris. 1583.

CVr tria iunguntur titulis animalia veſtris,
Quae reliquas ſuperant robore, & ore feras?
Iliaci raptor pueri, tumefactaq. terga
Caeruleus ſerpens, terribiliſq. Leo?
An quia virtutum valido munimine, Iuli,
Saeptus erit, nullum quo feriare, malum?
Scilicet (Idalius nam qui domat omnia Diuus,
Ferre nequit domitas in ſua iura manus.
Luget Auarities, cogitq. Superbia pennas,
Feruida flammiuomas temperat Ira rotas.
Ingluuies, Liuorq. cadunt, & Acedia: Iuli,
His igitur titulis iure fruare Tuis.

Digitized by Google


GREGORIVS PP. XIII.



NICOLAVS SFONDRATVS MEDIOLAN.
Tit. S. Caeciliae Card. Cremon. nuncupatus
12. Decembris, 1583.

INclyta Purpurei proles, Nicolae, Parentis,
Iam quoque Cardineis conſpiciende notis;
Si vacat infandas curarum ponere moles,
Cerne peregrina carmina ducta chely.
Parua damus, ſed magna, Tibi ſi parua probentur,
Nititur arbitrio noſtra Camoena Tuo.
Nobilis hoc placidae voluit Clementia frontis,
Clarius egregia nobilitate decus.
Scintillanſq. pius foedo ſine crimine candor,
Sanctaq. Simplicitas, purpureuſq. pudor.
Quiq. quatit valido Vatum praecordia motu,
Et poſſeſſa ſacer pectora verſat Amor.

GREGORIVS PP. XIII.



ANT. MARIA DE SALVIATIS ROMANVS
Tit. S. Mariae de Pace, 12. Decemb. 1583.

Quid Mariae properas ſubijſſe palatia, Muſa,
Auſa per exiguos magna referre modos ?
Quo male praecipiti raperis ſuccenſa calore,
Sunt loca plebeio non ſubeunda pede.
Qualiter irriguo tenerae radicis in horto
Saluia gramineum mulcet odore ſolum ;
Is quoque Romulea feliciter Vrbe locatus,
Mite ſalutifera Saluia floret humo.
Phillyrideſq. ſacer bene ſaucia pectora curans
Impia Tartareis crimina mergit aquis.
Ergo fouens teneras dic vt radicibus herbas,
Floreat Iliaca Saluia ſaluus humo.

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.




AVGVSTINVS VALERIVS VENETVS
Tit. S.Marci Card.Veronen.nuncup.
12. Decembris, 1583.

NVdus Acidaliae genitricis in oſcula fuſus
Cur roſeo lacrymas imbibit ore Deus?
An quia vulnifico repetens Tua pectora cornu,
Vidit in aerios tela retorta Notos?
Nam,ſimul ac ſuperas hauſiſti luminis auras,
Vota Tibi caſtae virginitatis erant.
Moxq. vigens tenero iucundae flore iuuentae,
Viſiſti Clarij ſacra verenda chori.
Hinc Tibi tam docto Sapientia pectore fulget,
Hinc feris Aoniae fila decora Lyrae.
Euge Tuos igitur celebra,Auguſtine,triumphos,
Omnia qui ſuperat eſt Tua praeda Deus.

Digitized by Google


GREGORIVS PP. XIII.



VINCENTIVS LAVREVS TROPIEN.
Tit. S. Clementis Card. Montisregalis,
12. Decembris, 1583.

LAuree, Chalcidicae cingunt cui tempora frondes,
Lauree, Caſtalij gloria prima chori:
Sufficiet quae Muſa Tuae mihi carmina Lauro?
Laurus Apollineas ambit odora comas.
Vt nequijt patrijs etenim prohibentibus vndis
Oſcula purpureis ferre negata genis;
Arbor eris certe dixit mea, quando negatum eſt,
Vt ſubeas thalamos Nympha cupita meos.
Hanc, quoque Vincenti, Phoebi generoſus alumnus
Ecce geris titulis, ſigna decora, Tuis.
Et merito quoniam memores Heliconis alumnae
Fecerunt capiti laurea ſerta Tuo.

Digitized by Google



PHILIPPVS SPINOLA GENVEN.
Tit. S. Sabinae, 12. Decembris, 1583.

SPinola, dum nitidi radiabunt aetheris ignes,
Heſperus & ſeris efferet ora vadis:
Spinola, Cardinei radians inſigne decoris
Scriberis, rapidos effugiesq. rogos.
Nam, velut e rigidis roſa formoſiſsima ſpinis
Naſcitur, vt gremium feta recluſit humus;
Incorrupta Tuo ſic florens pectore virtus,
Inconcuſſa ſuae ſemina meſsis agit.
Et, veluti Iano, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, ſpinea virga fuit;
Eſt & ab hamatis ſpinis Tibi, Spinola, nomen,
Spinea quo ſpinis libera corda vacent.


GREGORIVS PP. XIII.



GEORGIVS RADIVIL LITVANVS
Tit. S. Sixti, 12. Decembris, 1583.

HOrrida Taenario rurſum ruit Eumenis antro,
Et quatit immani torta flagella manu,
Incutienſq. metus trepidos mortalibus aegris
Eruit aetherij iura, fidemq. Patris.
Mitis ades miſeris igitur tutela Georgi,
Dumq. potes, Stygij claude furoris iter:
Vtq. ferum domuit ferro volitante Draconem,
Cuius ab eximio nomine nomen habes:
Tu furias Erebi caeleſtibus eijce regnis,
Et Phlegetontaeis fortiter abde vadis.
Poſtq. tot ancipites maris implacabilis vndas,
Aethera ſidereis victor adibis equis.

Digitized by Google



SIMEON DE ARAGONA SICVLVS
Tit. S. Mariae Angelorum in Thermis
Card. de Terra noua nunc. 12. Dec. 1583.

FAma per aerios volitans rapidiſsima tractus,
Qua ſtupet Illyricum Tibridis vnda ſenem;
Auribus hauſta meis, docuit natalibus oras
Sicanias ſeſe ferre ſub aſtra Tuis.
Et merito: Quis enim felicibus editus aſtris,
Tam ſibi felicem poſsit habere Iouem?
Noxia Saturnus cogebat ſidera, Marsq.
Vectus ab Iſmariis igneus ibat equis,
Cum ſuperinducens alio molimine currus
Iuppiter, indomitos expulit axe Deos.
Trinacris ergo Tuo Simeon ſe venditet ortu,
Proſpera felici namque erit illa Duce.

D

GREGORIVS PP. XIII.



SCIPIO LANCELOTTVS ROMANVS,
Tit. S.Saluatoris in Lauro, Signat. Breuiũ Praefectus.
12. Decembris, 1583.

SCipio, Romulidae Maiorum cognite Ciui
Stemmate, quam dudum ſors inimica tulit;
Ecce Tuae radiat rutilae virtutis imago,
Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.
Vtq. regit greſſus trepidantis Scipio tali,
Debilitat celeres quando Senecta pedes;
Sic, Tua continuo virtus ſolidata labore,
Dirigit errantes vda per arua viros.
Et bene debilibus ſenio ſubiecta lacertis;
Liberat a duro membra caduca ſolo.
Quod ſupereſt igitur Romanae gloria gentis
Labentes ſolida, Scipio clare, viros.

Digitized by Google



Io. Vincen. Gonzaga Mantvanvs,
Tit. S. Alexij in Monte Auent. 21. Febr. 1578.

MAntua Parthenio quondam celeberrima Vate
Itala qui Phrygium duxit in arua Ducem,
Sidereum celſo feriebat vertice caelum,
Solaq. in Heſperia clara vigebat humo.
Aſt eadem, Gonzaga, Tuo caput extulit ortu;
Parthenius ſiquidem rurſus alumnus ades.
Siſyphides Triquetras ſpreuit de puppe volucres,
Quaſlibet admiſſas quae tenuere rates.
Tu quoque praeteriens ver illud amabile vitae,
Quo fouet Idalias culta Iuuenta faces;
Deſpicis ambiguas, Acheloia numina, formas,
Obruis & Paphij flammea tela Dei.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



HENRICVS CAETANVS ROMANVS,
Tit. S. Pudentianae, S. R. E. Camer. Leg. Galliae. I
18. Decembris, 1585.

NVlla Paraetonio lumbos modulata cothurno
 Carmina diſſoluunt, o Caetane, Tuos.
Verſaq. cum duplici genialia naulia palma
 Mittis ad Idaeos, tinnulaq. aera, viros.
Scilicet eximiae turpant ea laudis honores,
 Quos ſtupet exoriens; occiduumq. iubar.
At potius clara celebres de ſtirpe Parentes
 Enumerans ſtudio conueniente Tibi;
Caelicolumq. domos, conuexaq. limina caeli
 Affectas, animi lumine cuncta videns.
Semper io tales retine, Caetane, recurſus,
 Sic Tibi flauentes Sequana ſiſtet aquas.

Digitized by Google


SIXTVS PAPA V.



IO. BAPTISTA CASTRVCCIVS LVCEN.
Tit. S. Mariae de Aracaeli Sig. Iuſt. Praefectus,
18. Decemb. 1585.

CVr Dea, dum moriēs gemuit Cynareia proles?
Candida purpureo ſanguine prata rigas?
Quae fuit ante niui, niueiſq; ſimillima cygnis;
Naſcitur en poſito rubra colore roſa.
An quia Caſtrucci titulos decorare volebas?
At fuerat melior candida, ſicut erat.
Alba volunt Superi, turpiq. carentia labe,
Illa colorato ſanguine tincta rubet:
Fallor: & Oebalius color eſt acceptus Olympo;
Fulmina dum torquet Iuppiter ipſe rubet.
Plaga rubet caeli, dum laxas Aeole ventos;
Diuaq. Memnonijs roſcida fulget equis.

SIXTVS PAPA V.



FEDERICVS CORNELIVS VENETVS
Tit. S. Steph. in Monte Coelio. 18. Deceb. 1585.

QVid mea Muſa paras? tanto dare carmina Vati?
Conde verecundos Muſa pudenda ſinus.
Veſte nefas illos tali ſubijſſe Penates,
In quibus Argolico murice cuncta rubent.
Cernis vt igniuomis radient inſignia valuis?
Robora ſiderei cardinis illa notant.
Ipſe recognoſcens Patrios Federicus honores;
Dictat honoratis libera iura viris.
Sacraq. purpurei referentem nomina Patris,
Nobilis e fragili gloria tollit humo.
Donec erunt igitur melioris tegmina pallae,
Conde verecundos Muſa pudenda ſinus.


Digitized by Google



HIPPOLYTVS RVBEVS PARMEN.
Tit. S. Blaſij de Anulo Card. Papien. nuncup.
18. Decembris, 1585.

PEgaſea ſi me Phoebus docuiſſet in vmbra
Tangere Threiciae Rubee fila lyrae;
Carmina cōcinerem tantae nihil indiga laudis,
Rubee principium, Rubee meta fores.
Namque Tuo quantum tribuit natura decori?
Quamq. Tui rarus pectoris iſte decor?
Quamlibet Olenij tenerae cunabula vitae
Ornaſſent capitis cornua fracta Tuae;
Maior in humano non eſſet corpore virtus:
Tantus ab egregia fronte redundat honos.
Adde genus, rutilis famam quod terminat aſtris,
Quaq. domat Nereus Dorides arua Pater,

SIXTVS PAPA V.



DOMINICVS PINELLVS GENVEN.
Tit. S. Laurentii in Pane, & Perna. 18. Decēb. 1585.

AErijs, Pinelle, comis ſublata ſub auras
Nobilitat titulos pinus opaca Tuos.
Et merito: quoniam liquidum velut aera ſpectans
Semper ab immunda culmina tollit humo:
Sic, dum temnis opes irritamenta malorum,
Quae bona ſunt animi lumine ſola vides.
Suſpiciensq. polum, frenantemq. aethera nutu;
Fingis ab exemplo pectora ſancta Tuo:
Et velut hiberno non laeditur aere Pinus,
At ſemper viridi floret amoena coma;
Sic licet aetheriam ſubeant tentamina mentem,
Stas tamen, & ſolito remige cymba natat;

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



HIPPOLYTVS ALDOBRAND. FLORENTI
Tit. S. Pancratii Maior Poenit. 18. Decembris, 1585.

PLena quis attonito quatiens praecordia motu,
Spiritus horriſonis vela leuabit aquis?
Aſtitit Hippolytus tenui memorandus auena,
Qui centum celebri ſtirpe recenſet auos.
Iuſtitiae cultor rutili Pater incola caeli,
Cardineoq. ſacer frater honore, micant.
Nec minus Alcinoo flos intemeratus in horto
Clarius ille ſuae germina ſtirpis agit.
Cultaq. Romuleae referens praeconia linguae,
Accepit meritis praemia digna ſuis.
Poſtq. ſuos obitus etiam capietur Olympo,
Qua timet inuiſum Parrhaſis vrſa fretum.

SIXTVS PAPA V.



HIERONYMVS DE RVVERE TAVRINEN.
Tit. S. Petri ad Vincula, 16. Decemb. 1586.

EXcutiens patulos viridanti culmine ramos
Spectat humum folijs quercus amata Ioui.
Cur? quia Cardineos ſpreto Ioue poſcit honores,
Nititur & Tyrias lambere fronde fores,
Nunc alias cinctura comas, quam Ciuica cinxit,
Ciuis vt indomito raptus ab hoſte fuit.
Iure Tuum premit illa caput Pater optime: namque
Ciuis ab inferna eſt, Te Duce, liber aqua.
Scilicet innocuae dum Te iuuat orbita vitae,
Inq. Tui rutilans agnitione fides;
Quod Proaui ſupera laetantur ſede recepti,
Curat inacceſſo quiſque placere Deo.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



PHILIPPVS DE LENONCOVRT GALLVS
Tit. S. Onuphrij, 17. Decembris, 1586.

LEnoncourte Tuos quae detinet optime vultus
Terra? vel Oenotria cur ita lentus abes?
Gallia Te patrijs recreat feliciter oris,
Ciuibus vt maneas portus, & aura Tuis?
Dij precor hoc iubeant: tonuit Bellona fragorē,
Sequana qua grauidos amne pererrat agros.
Motaq. ſollicitam ſtimulans in praelia gentem,
En furor Orcaeis prodijt ortus aquis.
Hunc contra molire lubens ſacra tela Philippe,
Haud aberit caeli miſſus ab arce fauor.
Crux etenim iuſti ſignans Tua caſtra Gradiui,
Hoſtibus a domitis laeta trophaea feret.

SIXTVS PAPA V.



FR. HIER. BERNER. DE CORRIGIO ORD. PRAED.
Tit. S. Matiae ſupra Mineruam. Card. Aſculanus.
17. Decembris, 1586.

NVnc operata Tibi, Berneri, ſoluimus ora,
Si ferat officium praepes adunca meum.
Dũ canit ergo Tuae repetens praeconia laudis
Calliope; numeris annue, clare, meis.
Sacra tonans media rutili teſtudine templi,
Addebas monitus ad Tua ſacra pios:
Appius & veluti ſuperò demiſſus Olympo,
Cernebas animi lumine cuncta Tui:
Cum Pater indubiò ſtupefactus numine mentem
Te quoque Cardineo SIXTVS honore beat.
Sic bene conſulitur labentibus ordine rebus,
Dum pia virtutis tempora cingit honos.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



ANT. MARIA GALLVS AVXIMAS
Tit. S. Agnetis in Agone Card. Peruſiñ. nuncupatus.
17. Decembris. 1586.

ALes vt Iliaci ſequitur quem ſponſa mariti
 Euocat arguto dum vigil ore diem,
Vrbis Erichthoniae rigido fabricatus aheno
 Stabat adoratis addita cura focis;
Sic quoque, Galle, Tuae volucris Titania ſtirpis
 Inſita nobilibus ſtat generoſa notis.
Nam velut illa ſui ſtimulis agitata decoris
 Nouit vt aequoreas Pleias inumbret aquas;
Celſaq. falcatam tollens ad ſidera caudam,
 Excipit ignicomans lumine ſalua iubar;
Alma Tuam ſic, Galle, mouens Prudentia mentem
 Monſtrat ad aetherium cuncta ferenda polum.

SIXTVS PAPA V.



F. CONSTAN. SARNANVS ORD. MIN. CONVEN.
Tit. S. Petri in Monte Aureo. 17. Decemb. 1586.

CAlliopeia nouem Princeps veneranda Sororum,
Deſeris in medio cur mea vela freto?
Quo fugis? aut quonam noſtri tibi cura receſsit?
Pauca rogo, celeres ſiſte vocata gradus.
Carmina Sarnanus Latiae facundia linguae
Poſcit, honorato carmina necte viro.
Promptaq. virgineas pingens cum flore corollas,
Inſere Thymbraeis tempus vtrumque comis.
Iuſta peto, tenerae nam vernans flore iuuentae,
Bellerophontaeis ora rigauit aquis.
At poſtquam ſubijt tandem maturior aetas;
Vela ſalutiferae ſufficit ipſe rati.

SIXTVS PAPA V.



GVLIELMVS ALANVS ANGLVS,
Tit. S. Martini in Montibus, 7. Auguſti, 1587.

CLare Calydonias qui nunc feliciter oras
Romuleo mutas, o Gulielme, ſolo;
Accipe pauca meam teſtantia carmina mentem,
Et veniente Tuo nomina fige loco.
Magna peto. Quis enim tantae praeconia famae
Cenſeat vndenis emodulanda modis?
Ardua tranquillo ridet Clementia vultu,
Inq. pio radiat priſtina corde fides.
Almaq. Simplicitas, & ſcintillantis Olympi
Te deſiderium, quo cupis vſque, vehit.
Attamen exiguo ne deſpue carmina cultu,
Caeſa fuit ſummo victima parua Ioui.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



SCIPIO GONZAGA MANTVANVS
Tit. S. Mariae de Populo. 18. Decemb. 1587.

ELoquar ? an ſileam, quae condita pectore ſeruo?
Fluctuat ancipiti mens agitata freto.
Si taceam tantae laudes, Gonzaga, latebunt,
Nominibusq. Tuis indoluiſſe ferar.
Si loquar in ſterili pendebit lingua palato,
Et fuerit meritis pars bona dempta Tuis.
Ecquis erit igitur violenta per aequora tandem
Carbaſa qui tumidis vindicet icta Notis?
Tu potes alme Tuo ſolus Gonzaga Tridenti
Naufraga fluctiuomo ſoluere vela mari.
Mitis ades igitur trepido Cynoſura magiſtro,
Sic ſtabit ſolido fixa carina ſolo.

Digitized by Google



ANTONIVS SAVLIVS GENVENSIS,
Tit. S. Vitalis. 18. Decembris. 1587.

SIcut arenoſo doctis celebrata Poetis
Litore ſtat tremulo culmine in aſtra Pharos;
Sulcantesq. Thetin per opaca ſilentia noctis
Collocat optatis igne notanda locis;
Tu quoque, conſpicua Virtutum rupe locatus,
Vnde vides quidquid ſubdita terra gerit;
Turpibus implicitis maculis, & labe nefanda
Foedatis animis pandis amicus iter.
Namque ſalutifera referans oracula voce
Neſtorio faciles ducis ab ore ſonos.
Rem facis ergo Pater, qua non eſt rarior vlla,
Cum tam praecipiti tempore pandis opem.

Digitized by Google



EVANG. PALLOTTVS DE CALDEROLA
Tit. S. Matthaei ĩ Merul. Card. Coſentin. S.D.N. Prodat.
18. Decembris. 1587.

Laure Palatino florens pulcherrima colle,
Digna Palotaeis innuba Laure comis,
Lenta quid Oebalios ceſſas redimire capillos
Dum tibi perpetuo frondet honore decus?
Deſere Rectoris paullum modulamina Thymbrae,
Teq. ſtude ſacris inſinuaſſe choris.
Pectora Caelicolum flagrans Pallottus amore,
Et reſerans luctus conſcia ſigna ſui,
Dum ſacra ſiderei contemnens dogmata caeli,
Praecipitat Stygijs gens maleſana dolis,
Reſtat adhuc viridi cingendũs tempora fronde,
Dum vacat ergo ſacrũm cingito Laure caput.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



PETRVS GONDVS FLORENTIN.
Tit. S. Silueſtri. 18. Decembris, 1587.

QVae mihi ſtellifero Muſa aſpirabit ab axe,
Gonde, Tuae canitur dum mihi mẽtis opus?
Quamlibet Aſcraeo reſerata cacumina Vati
Explicet ingenio Calliopeia meo;
Non cadet in numeros virtutum ſumma Tuarum,
Vix erit Andinis vna canenda modis.
Siue ſuos etenim proles Hyperionis axes;
Seu ferrugineas Nox agat atra rotas;
Dum pia Relligio penetralibus aeſtuat imis,
Thuricremis offers membra caduca focis.
Largaq. viſceribus manus exporrecta Tonantis,
Conciliat precibus pondera certa Tuis.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



IOANNES DE MENDOZA HISPANVS,
Tit. S. Mariae Tranſpontinae. 18. Decemb. 1587.

DIa parens ſeu virgineos ſanctiſsima coetus
  Ducis, vbi ſacro nectare cuncta madent;
Seu Natum comitaris ouans, Natiq. cohortes,
  Huc ades, & caelo Dia benigna faue.
En verſus Mendoza meos, Mendoza requirit;
  Qui Tua tam ſancto numina corde colit.
Corde colit, totuſq. Tui ſuccenſus amore
  Ardet, vt vnda ſuis Thermopylaea iugis.
Digna fides: cernis geminis inſigne tabellis?
  Sacra puerperij ſunt ibi verba Tui.
Ergo pium facilis Mendozam reſpice caelo:
  Ille Tuis dederit thura Sabaeá focis.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.




IO. FRANCIS. MAVROCENVS. VENETVS.
Tit. SS. Nerei, & Archillei. 15. Iulii, 1588.

SI leuiora Tuis modulentur carmina factis;
  Ingenio veniam da, Pater alme, meo.
Dum taceo Solymas Te perduxiſſe ſub arces
  Nouimus eximia quos pietate Patres;
Vt Tua Sidonio rubeant inſignia ſucco,
  Si faueat numeris parua Thalia, canam.
Ardua Pontificis obeuntem munera SIXTI,
  Qua vagus vndiſonas Sequana voluit aquas,
Haud vſquam Auſoniae quidquam virtutis egentem
  Addebat ſupero Gallia tota polo:
Cum SIXTVS, rutilo quem Gallia iungit Olympo,
  Hunc Me munifica non decoraſſe manu?

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



MARIANVS PERBENEDICTVS CAM.
Tit. SS.Marcellini & Petri, Card.de Camerino
nuncup. 20. Decembris, 1589.

CVm Pater Oebalio SIXTVS, Mariane, galero
Inſereret capitis tempora ſacra Tui;
Commorat geminas diſcors concordia Diuas,
Dum properat dignis vtraque ſerta comis,
Martorana ſuos Pietas referebat honores,
Sanctaq. thuricremis munera facta focis;
Sed data Romuleo iuſte moderamina ciui
Vrgebat grauibus altera virgo ſonis.
Chriſtus inexhauſta penſans cum ſingula dextra,
Intulit in portus vtraque vota ſuos.
Tranantes igitur caeleſtibus aethera pennis
Lutea concordes dant Tibi ſerta Deae.

Digitized by Google



FR. GREGORIVS PETROCHINVS DE MONT. Picenus, Ord. Erem. S. Auguſtini. 20. Decemb. 1589.

Bellua terribili metuenda proboſcide, clare
Inſeritur titulis cur, Petrochine, Tuis?
An velut inuicto ſolidiſsima pondera dorſo
Illa rotans, nullo ſtat remouenda gradu;
Tu quoque non timida terrendus imagine rerum,
Pectore fers nitidi dogmata ſancta poli?
Claraq. ceu rutilas diffundunt ſidera flammas,
Humida dum tacitae tempora noctis eunt;
Sic, Tua conſpicuo detorquens lumina colle
Gloria ſiderias radit amoena faces?
Nam prius haud patulo memorata tacebitur orbi,
Quam ſine luciferis Cynthius ibit equis.

Digitized by Google



ANDREAS AB AVSTRIA, D.
Tit. S. Mariae Nouae. 19. Nouembris, 1576.

DVm mea Purpureos Andrea, Muſa Penates
Permeat, Aonias Tu quoque pande fores.
Nam, velut Olenio pelagus ſub ſidere celſis
Turribus exſtructis ignibus vſque micat:
Aut vbi Phoebaei penetrarunt nubila vultus,
Tota repercuſſo lumine fulget humus;
Sic Tua diffundens radiantia lumina virtus
Emicat aetherijs aequiparanda viris.
Ergo ambita fretis dum ſtabit in aere tellus,
Et feret ignicomus ſidera clara polus;
Auſtria nobilium genitrix cantata virorum
Laudibus euectum Te Tua tollet humo.

Digitized by Google



FRANCISCVS SFORTIA DE S. FLORA ROM.
Tit. S. Mariae in Via Lata. 12. Decembris, 1583.

STemmate dũ genitrix canitur Populonia Regũ,
Inclyta purpureo Roma pudore rubet.
Nam velut Argolica patefactus fraude caballus,
Fudit in Iliacas arma cruenta domos;
Sic, ea ſiderio diſcludens viſcera partu,
Edidit eximios nobilitate viros.
Quos inter gemina venerandus Sfortia ſtirpe
Emicat, vt nitido ſtella renata ſalo.
Namque Atauos longa numerans ab origine Reges,
Addita Pontificum nomina ſancta videt.
Ipſe dehinc propriae referens inſignia laudis,
Franciſcus patriam clarus opacat humum,

Digitized by Google

GREGORIVS PP. XIII.



ANDREAS BATTORIVS DE SOMLIO TRANSIL.
Tit. S. Mariae Nouae, 19. Nouembris, 1576.

MAgna canā, vos magna piae memorate Camoenae,
Audiat vt laudes hoc diadema ſuas.
Battorius, cui tota patent Heliconia ſaepta,
Aetherii ſocius Cardinis ecce venit.
Qui licet Icarios nondum tolerauerat aeſtus
Corpore bis decies, Rege creatus auo;
Clara tamen propero veniens Prudentia paſſu,
Finxit honorata pectora clara manu.
Hinc bene laſciuae decurrens prata Iuuentae,
Intulit eximiis nomina magna viris.
Nobilis ergo ſuo iam Tranſiluania paene
Regia Battorio ſceptra datura fuit.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V



ALEXANDER PERETTVS ROMANVS,
S. R. E. Vicecã.Sũmator S.D.N.Tit.S. Lauré. in Damaſo,
Leg.Bonon.Card.de Mõtealto,nũcup.13.Maii,1585.

SI mihi Calliope Latii modulamina plectri
Donaſti facili ſollicitare manu;
Nunc age Caſtalios praepande obnixa receſſus,
Vt mea Gorgoneis ora rigentur aquis.
Cernis vt eximia decoratus fronte Perettus
Poſcit honorati carmina prima chori?
Pone leues igitur, Cythereia munera, verſus,
Repperit imparibus quos Elegia modis.
Ardua quae validi vires pulmonis anhelent,
Conueniunt tanto carmina digna viro.
Nam rubra qua roſeo rutilat Thaumantias axe,
Feſſaq. qua tepidis Sol ſuga ſubdit aquis;

Illius

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



Illius Ambroſio virtus ſpatiata decore,
Ambiit aſtricomi climata lata poli.
Sanctaq. ſiderio Pietas oblata Tonanti
Explicuit dubio vela ſoluta mari.
At vigil aetheriam decorans Prudentia mentem,
Perculit inſigni pectora noſtra fide.
Non mihi ſpes igitur tantae praeconia laudis
Exaequare meis, clare Perette, modis.
Talia Minciaden defigant pondera Vatem,
Tutior exiguis linter oberrat aquis.
Quod licet, vt ſero concordes ſtamina Parcae
Exſuperent vitae mollia quaeſo Tuae.
Si neque Pegaſios mecum auerſeris honores,
Eſſe velis trepidae portus, & aura rati.

Digitized by Google


SIXTVS PAPA V.



HIERONY. MATTHAEIVS ROMANVS,
Tit. S. Euſtachii. 17. Decembris, 1586.

DIgne ſacro Matthaeie polo, viſureq. tandem
Corporis vt fuerit mens reſoluta feris;
Quae mihi Muſa Tui ſeriem referabit honoris?
Non cadit in titulos quaelibet apta Tuos.
Eſt Tibi primaeua quaeſita Scientia cura,
Ruga nec in facili tetrica fronte ſedet.
Et, quoties Sophiae nitidis ſpatiaris in hortis,
Ingenio quaerens diſcutienda Tuo;
Nil premit inuictam dubia caligine mentem,
Cunctaq. ſunt animis inferiora Tuis.
Nomina Romulidum colit hinc Tua turba ſophorum,
Et patet in laudes area lata Tuas.

SIXTVS PAPA V.



BENEDIC. IVSTINIANVS GENVEN.
Tit. S. Mariae in Coſmedin. 17. Decembris, 1586.

VIderat auricoma Benedictum lumine ſede,
Vltima Caelicolum quae Dea liquit humum;
Et ſecum: Cur ergo ſacris altaria votis
Noſtra ſuis cumulans Iuſtinianus erit,
Gratia tam Sanctis mea ni reſpondeat actis?
Et veniat noſtra miſſus ab arce fauor?
Dixit: & Oebalio perfuſos ſanguine flores,
Narciſſumq. ſacra texuit ipſa manu.
Impellensq. leues per inania nubila currus;
Ecce Tuas cingit, Iuſtiniane, comas.
Euge igitur Superis non infima cura Deabus;
Euge coronatis Iuſtiniane comis.

Digitized by Google

SIXTVS PAPA V.



ASCANIVS COLVMNA ROMANVS, Tit. S. Nicolai in Carcere. 17. Decembris, 1586.

RIſtina conſpicuo Roma exſpoliata decore
Traxerat horribili ſeditione polum;
Cum ſolio radians ſuperi moderator Olympi
Explicuit ſacris condita verba ſonis:
Ponite degeneres, Superi, ſic mando, tumultus,
Romanum imperium non premet vlla dies.
Cardineus modo regnat honos meliora ſecutus,
Regnat, & aſtricomi permeat aſtra poli.
Cernite, quanta ſua voluat modo mente Columna,
Dum ſequitur Marci fortia geſta Patris.
Ille freto domuit crudelia pectora Turcae,
Cogitat hic Stygij vaſta trophaea lacus.



F. HVGO LOVBENX VERDALA GALLVS
Magnus Magiſter Ordin.S. Ioannis Hieroſolymit.
Tit. S. Mariae in Porticu. 18. Decembris, 1587.

HVgo mihi canitur, quo non metuentius vllum
Numinis ingenium Gallica terra tulit.
Phoebe, faue, ſi Pegaſios haurire liquores
Hic potuit veſtro Phoebe fauente choro.
Dignior eſt noſtra quam qui celebretur auena,
Scis mihi quam rauco ſtrideat illa ſono.
Sed, quia Cardineas percurrimus ordine laudes,
Vt decet ille meum Phoebe ſubibit opus.
At poſita grauitate prius, tituliſq. Parentum,
Quos colit vt ſummos Gallia clara Deos,
Sic leuius ſuccincta ſinus, & vertice nudo
Curret in vndenos parua Thaleia pedes.


Digitized by Google



FEDERICVS BORROMAEVS MEDIOL.
Tit. S. Agathae. 18. Decembris, 1587.

BOrromaee Tui pietas ſpectata Parentis
Aeris inſolitas tranſijt alta vias.
Et Patruus viuet, dum Centaureius amnis
Impiger aurato turbine voluet aquas.
Tuq. Tuis oculis exempla domeſtica ſpectans,
Sidera tranſcendes nomine celſa Tuo.
Scilicet hoc Tituli, nec non inſignia monſtrant,
Qualia ſunt oculis nulla notata meis.
Cernis vt hoc animal feriat Hyperiona cornu?
Haec, Federice, Tui ſigna decoris erunt.
At rutilans ternis niueum diadema Pyropis;
Sunt data virtuti praemia digna Tuae.

SIXTVS PAPA V.




AVGVSTINVS CVSANVS MEDIOLAN.
Tit. S. Hadriani. 14. Decembris, 1588.

Ceſſerat indignans Italis Mars pulſus ab oris,
Paxq. erat Auſonio reddita ſancta ſolo.
Cum Charites tenero fingentes pollice flores,
Aſpiciunt cunas, clare Cuſane, Tuas:
Admotaeq. gradu celeri, ceu quaeque rubentes
Legerat, inuergunt has Tibi quaeque roſas.
Tangentesq. manu puerilia pectora leui;
Ilicet expoliunt dotibus illa ſuis.
Mox, vbi purpureos egere ſub aſtra iugales;
Suauiter haec paribus concinuere modis.
Creſce puer; roſeo ſurget Pallantias ortu,
Purpura quo teneras cinget amata comas.

Digitized by Google


SIXTVS PAPA V.



FRANCISCVS MARIA
Ex Marchionibus Montis. Tit.S. Mariae in Domnica.
14. Decembris. 1588.

VT tepidis iterum Zephyris mutantibus vmbras,
Dum noua Phryxaeae terga premuntur ouis,
Culta renaſcuntur viridantis gramina terrae,
Et capit vmbroſas arbor opaca comas;
Sic, vbi Sidonio rutilans, Franciſce, Galero
Caepiſti Tyrio Te ſociare choro;
Alma diu maeſtae praetendens nubila fronti,
Caepit honoratis Roma nitere genis.
An quia Nonacrias frenis qui temperat arces
Muneris haec Medices dat Tibi dona ſui?
Nam grauis eximio manans e nomine virtus,
Occupat heredem clarior illa ſuum.

Digitized by Google



CAROLVS DE LOTHARINGIA
Tit. S.   20. Decemb. 1589.

CArole, dum patrijs viuis dimotus in oris,
Inſumens ſtudijs otia parta Tuis,
Inclyta, quae feſto nuper reſplenduit igne,
Dum Tua Cardineus tempora cinxit honos,
Roma coloratae praetexit nubila fronti,
Et gemit abſentes officioſa genas.
Nobilium quis enim generatus ſtirpe Parentum,
Tot numerat celebres nobilitate Patres?
Sanctaq. ſtelliferum Pietas elata ſub axem,
Quid dedit aetherio gratius eſſe Deo?
Quem dolet externos igitur retinere Penates,
Da videat vultus, Carole, Roma Tuos.



GVIDO PEPVLVS BONONIEN.
Tit. SS. Coſmi & Damiani .20.Decemb. 1589.

HVnc mihi ſupremum da Calliopeia laborem,
Carmina Guidoni dum quoque pauca cano.
Carmina Guidoni quis enim neget? ille Senatus
Iam quoque Cardinei non leue munus habet.
Scilicet hoc teneris ferijt cum fletibus auras,
Vidit ab auricoma Phoſphorus arce, puer.
Paruaq. clementi tentans praecordia dextra,
Prouida diſcluſit talibus ora modis.
Creſce puer, croceo violas Tibi miſcet acantho
Mitis hyperboreo terra ſoluta gelu.
Cultaq. Sidonijs Tyrus imperioſa colonis,
Iam Tibi purpureae vellera ſiccat ouis.

PERORATIO.

HAec ego, dum patrijs abſum Robardus ab oris,
Quas vitreus roſeis vmbrātia tempora ſertis
Hannia pacato redolens perlabitur amne,
Dum ſacer Oebalij iuuenilia pectora coetus
Vrget amor, ſacroſq. iubet luſtrare receſſus
Aonidum incumbens, pauidis qua nulla priorum
Occurſant oculis penitus veſtigia Vatum,
Imparibus Phoeba numeris modulante, canebam.
Illo intermiſsi repetentem carmina plectri
Tempore, Romulea tecum me ſede, Manucci,
Quamlibet inſolito diſcluſus more, fouebas.
Improba nam dubios varians Rhamnuſia vultus,
Explicitum obliqua longarum ambage viarum
Impulerat ſcopulis, rapido dum merſus ab alto.
Inuehis in tutum volitantia carbaſa portum
Nec tamen in tantis pelago reſonante procellis
Remigium validis circum exercere lacertis
Ceſſabas, fragilem deducens rupe carinam:
Sed caelo ſi forte iubar Cynoſura ſereno
Panderet auricomum, ſeu mite per aequoris vndas
Sidus Amyclaei praeſenti numine fratres
Monſtrarent, tremulis nodabas vela ceruchis.

FINIS.

Digitized by Google

Nec mora Dardanio memorandus pabula Paſtor
Suſpirita gregi dextra ſuperaddis amica.
Hinc reboans dirum caecis Garamãtica tellus
Reſponſis Vatum, quos gens Mahometica celſo
Suſtulit euectos Caelo, templisq. locatos
Marmoreis vigili coluit maleſana vapore,
Audiit ingentes rerum tremefacta tumultus;
Et Pater inſolitis nutauit motibus Atlas,
Atlas, ſidereas qui torquens vertice ſedes
Deſpicit immenſi ſummota repagula mundi.
Nam, ſimul occiduum, rutilis quo proximat aſtris,
Detorſit caput, & Tyrrheni litoris oras
Deſpexit pelagi, gentisq. extrema togatae
Moenia; deuexa Tiberini fluminis vnda
Vidit in vndiſonas turrita puppe Triremes
Vrbis opus, medio variantibus aethere ventis
Dum pandunt aditus, piceaeq. obſtacula nubis
Diſſociant Superis, pelagi delabier vndas:
Hiſpida cum vitreis exertans corpora lymphis
Hippodates, numeroſa ſali Tritonide concha
Agmina compellat, denſaq. natante phalange
Excipit inſolito venientia robora plauſu.
Et ferus indomito permiſcens vaſta furore
Marmora Turcigenum ductor, ſuccincta ceruchis
Lintea conuellens tumidis, diuerſa retorquet
Lumina, & indecores auertit ab aequore puppes.
Hinc metuens rigidis collum compagibus Atlas
Stipatum ſolito tentauit ſoluere nexu:
Lataq. pacatis fundamina figere terris.
Viſum aliter Superis, duri ſcopuloſa retundunt
Ignibus ora ſenis, fugitiuaq. brachia rurſum
Impoſtis vrgent ſcopulis, at dura ſecundo
Pectora coeperunt nato dureſcere ſaxo.

Triremes nouae.

At pia ſiderei ſeruans tecta aurea Patris
Relligio, triſtes hominum miſerata ruinas,
Vt Phlegetontaeis emiſſa hortatibus auras
Eumenis irrupit, colubriſq. innexa ſonoris
Agmina Tartareis variarum ambage viarum
Sedibus elicuit, ſtatuitq. ſub aurea Caeli
Sidera concordes in bella mouentia fratres,
Aſſuetiſq. dolis miſcentia ſacra profanis;
Ipſaq. (pro crudele nefas) in crimina ſeſe
Omnia conglomerans ſaeuos adiunxit in vſus
Nequidquam inualida, & pectus ſuffuſa veneno;
Ecce, Tuo rurſum Caelo delabitur alto
Munere Sancte Pater, atque inſtaurata reuiſens
Laomedontaea venientis origine Romae
Dalmaticis tenerum radiantia tecta metallis;
Attonuit ſancto mortalia pectora motu,
Et placidis ſuperum penetralibus addidit ignem.
Nam qua purpurea primum nitet inclyta luce
Roma, vbi Memnonio rutilos nitidiſsimus axe
Stellanti temone rapit per inane caballos
Phoſphorus, & roſeis luſtrat veſtigia plauſtris,
Quae Phlegetontaeis piceam Nox illita frontem
Furua papaueribus fugiens Titania liquit
Lumina, praecipiti raptata per omnia gyro;
Virgineae ſacro templum venerabile Matri
Struxiſti ritu, Parijs quod vtrimque columnis
Irradians, ſuperi flammas imitatur Olympi:
Spectantumq. tenet variis ſtupefacta figuris
Lumina, quas doctae ſpiranti mollius aere
Artificum duxere manus, maculiſq. politos
Sidoniis lapides mirantum reddere vultus
Phidiacis docuere notis, velut ardua Caelo
Cynthia Phoebaeo noctem diſcriminat igne;

Sacellum in Exquilijs.

Quod

Quod PIVS aetheria QVINTVS iam ſede receptus,
QVINTVS in Oebalio qui Te fulgere Senatu
Iuſſerat, infando mentem ſuccenſus amore,
Debita dum tantae virtuti praemia pendit,
Obſeruans; tacito feriit Tua pectora iuſſu;
Inq. iſtis voluit melius requieſcere tectis.

Vota ratā tenuere fidē, nāque ecce ſub auras
Ilicet inſigni ſuffultum marmore, docto
Surgit opus ſtudio, clariſq. inſcribitur actis.
Ille triumphali, qua Vaticana reſultant
Carminibus delubra ſacris, ad limina pergit
Agmine, & Exquilias facilis conſcendit in arces.

Translatum corpus Pij V. Pôt. Max.

At Didacus Caeli nondum dignatus honore,
Dum Tarteſsiacas miracula clara per vrbes
Exhibet, egregia ſtimulans pietate Philippum,
Imperii qui iura ſui plaudentibus aſtris
Aſſeruit tepidis pharetratae Perſidos oris,
Arctoiſq. iugis, quibus aurea plauſtra Bootes
Imminet aſſocians villis Erymanthidos vrſae,
Caelicolum inſinuat ſacris ſua nomina turmis:
Et nouus aetherio ſuperadditus incola Caelo;
Reſpicit humanas ſuccenſo pectore curas.

Canonizatus S. Didacus.

Quem ſimul Illyricae rutila telluris alumnus
Caeſarie vidit ſuperas haud mollia ſecum
Scrutantem luſtrare vices, longaq. potentum
Digeſtas ſerie Superum percurrere ſedes
Luminibus vario mirantem ſingula ductu;
Extemplo, qua culta poli viridaria ſuaui
Flamine mulcentur, violiſq. recentibus halant
Intercepta Notis, & quae Rhodopeia turbant
Biſtoniis ablata iugis durata rigenti
Saxa gelu Boreae, ſparſaſq. per aera nubes
Agmina diripiunt piceas, de ſtirpe comantes

Ambro-

Ambroſia ſummo decerpens pollice flores,
Collectis niueis fulgentia tempora canis
Frondibus inſertat: dumq. alta palatia plauſum
Ingeminant, gaudetq. nouo ſub ſidere mundus;
Obuia ſidereo flectit veſtigia Vati,
Amplexuq. haerens auido, prior ore profatur.
Veniſti Heſperiae tandem Sanctiſsime gentis
Tu quoque magnorum ſacratos nomine faſtos
Aucturus Superum auguſto? tenebriſq. ſoluta
Offuſis Pietas, dubiae diſcrimina luctae
Euicit ſuperans, meritoſq. accepit honores?
Sic equidem Aeneadum defigens lumina regnis,
Et mecum aetherii recolens opera ardua SIXT
Quae ſtupet Eoos ſubigens ad frena iugales
Ignea magnanimi proles Hyperionis ardens,
Ducebam ſtudio tacitus, rebarq. futurum.
Prô Superum pietas? vt noxia corpora mentis
Offuſcant aciem, moribundaq. lumina tardant
Semine ſtipatos Caeli, calidoq. vigore
Suffuſos animos? tenebris, & carcere caeco
Circumſtant, rerumq. vetant ventura videri
Omina, quo miſeros dubias mutabilis aeui
Alternans facies raptatos ludat imago.
Hinc dirae incumbunt peſtes, labefactaq. vaſto
Pectora concutiunt motu, merſiſq. ſub alto
Noxarum Oceano radiantes aetheris ignes
Eripiunt, ſuperasq. vetant euadere in auras.
At melior Natura ſui praecordia SIXTI
Caeleſti tentata manu caligine caeca
Euoluens, rutila adſperſit mortalia luce
Lumina, & auricomas, qua ſcintillantis Olympi
In praeceps regio ima patet, vibrataq. torquens
Fulgura per medium radianti plurimus ore

Splen-

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA
942339
Digitized by Google

ROMAE,



Apud Paulum Bladum Impreſſorem Cameralem.
M. D. XC.

Superiorũ Permiſſu.

Digitized by Google

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

£12

RR 7ª/12ª

Digitized by Google